Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 799
Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 36. *Incipit de Sancto Johanne.* Sequuntur fimiles Narrationes *de Paphnutio*, duobus *Machariis*, *Apollonio* et *Evagrio.* Omnes depromtae e *Lib. II. Rufini Aquil. de Vitis Patrum*, prout extat apud *Herib. Roſweydum* edit. *Antverp.* 1615. p. 449. f. Omnes integrae, praeter *primam*, quae in his verbis: *Sed multa ſunt eius geſta. quę narrare ſatis longum eſt*, deficit.

IV. *fol.* 43. p. 2. *Uiſio Wettini Augienſis Monachi.* Incipit: *Uiſio quę Fratri noſtro Weddino oſtenſa fuerat pridie ante tranſitum eius. Cum predictus frater die ſabbati cum aliquibus noſtris potionem ad prouidendam ſalutem corporis accepiſſet* &c. Rem literis confignavit *Hatto* ſ. *Hetto* ex Abbate *Augiae Divitis* Epiſcopus *Baſileenſis* geſtam anno 824. verſibus celebravit *Walafridus Strabus*, cujus Carmen primus vulgavit *Henr. Caniſius* T. VI. *antiq. Lect.* et ex eo *Mabillonus Act. SS. O. B. Sec. IV.* P. I. p. 272. Idem *l. cit.* p. 265. etiam *Hattonis* proſam addidit ratus eam nusquam hactenus lucem vidiſſe, qua in re deceptus fuit a *Baluzio*, qui ei exemplum e duobus *Biblioth. Reg. Codicibus* deſcriptum miſerat, nulla mentione facta Editionis geminae, quae jam in manibus erat, mihique nunc haec ſcribenti objacet, prima quidem *Jac. Fabri Stapul.* inſcripta: *Liber trium virorum et trium ſpiritualium virginum, Pariſ. apud Henr. Steph.* 1513. f. altera *Collationum ſacr. Tilm. Bredenbachii, Colon.* 1584. et 1591. ubi *Collat.* VIII. c. 39. Viſio noſtra ex edit. *Pariſ.* refertur. Verum quidem eſt, *Videntem* noſtrum in utraque hac edit. adpellari *Uguetinum prius Canonicum deinde Monachum*, at ſic eum etiam adpellari in uno *Codicum Regior.* doctus erat a *Baluzio Mabillonus* in epiſtola, quam editioni *l. cit.* praefixam habes. Opinionem porro hanc de *Wettini* Canonicatu, deque corrupto ejus nomine egregie convellit *Liber Joh. Egonis de Viris Illuſtr. Augiae Divit. T. I. Theſ. Anecd. Pezii* P. II. p. 649. exemplumque obvium eſt in *Wilhelmo* et *Guilelmo*, *Warnerio* et *Guarnerio* &c. Codex noſter finit cum Mabillono: *ultimam huius inſtabilis vitę clauſit horam;* neque agnoſcit illud, quod male feriati quidam adlevere: *Haec ſunt, quae nos confratres ejus et venturis et lecturis teſtamur: veraque eſſe cognoſcimus.*

V. *fol.* 49. Excerpta ex *Hieronymo de Reverentia Sacerdotum, de Judicio* et *quatuor Ordinibus Reſurgentium.* Ex *Auguſtino de Puteo Inferni* et *Purgatorio.* E *Gregorio* M. varia, praecipue in *Job.* Notulae in *Leviticum*, in *Deuteronomium*, in *Joſue* et *Judices.* Fragmenta *Sermonum Auguſtini*, *Rabani*, et alia varia, quae ſibi quis in uſus privatos congeſſit nullo ordine ſervato.

VI. *fol.* 68. Varia de *Miſſa* ſub hiſce Rubricis: *Quot cauſis miſſa celebretur. Quid ſignificetur in miſſa. Alia Expoſitio Miſſae.*